

rabantur. Placuit Altissimo, ut quod Leo III pie disposuerat, Leo X quodammodo innovaret, et tantum thesaurum denuo repertum mortalibus ostenderet. Forte, dum ex edituis quidam circa diem natalem Christi proxime elapsum, qui fuit ab illius ortu MDXVIII, locum aureis de more ornat pannis hostium ex locellis obsecratis, qui supra imaginem Salvatoris sunt, ut apertum, cedere animadvertisit. Re denunciata, jussu Leonis X pontificis maximi, amplexus pater Alexander Farnesius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis eiusdem basilicæ Constantinianæ archipresbiter, et secum una reverendus pater et d. dominus Johannes Baptista Boncianus pontifex casertanus, et Hieronimus Picus et Prosperus Mutius patricii romani præsenti anno custodes xenodochij lateranensis, penes quos sacelli Salvatoris custodiendi esse solet cura, sacellum intrarunt; et apertis locellis et capsæ quæ sub altare erat, in locellis congeriem ossuum martirum tantum reperuerunt; in capsâ vero, quæ ex cupresso erat, haec in ipsa verba prium offendierunt: « Leo indignus Dei famulus tertius episcopus fecit ». Reliquæ vero quæ in hac capsâ permanent, dignæ sunt quæ repertæ fuerint saeculo Leonis X et quæ fidelibus augendam ad propagandam quoque religionem manifestentur. Illarum nomina quæ haberi potuerunt, nam fere innumerabiles sunt, tibi mitto: tu leges; admiraberis simul et Christo Salvatori pro tanto munere debitas gratias referes. Vale.

133

Reliquiae.

Una capsâ argentea in modum crucis facta, in qua est crux de auro purissimo collocata, decorata jacinthis et prismis, et in medio crucis hujus est recondita praecisio umbilici Domini nostri Jhesu Christi. Haec crux annis singulis ungebatur balsamo, quando dominus nostrus Papa in exaltatione Sanctæ Crucis cum cardinalibus de ipso palatio procedens in basilicam Constantinianam descendebat.

In alia vero capsâ argentea, sunt sandalia, idest calciamenta, quibus dominus Jhesus utebatur, quæ potius soleæ quedam cum clovis esse videntur.

In alia item capsâ argentea anaglypha continetur crux aurea, hæleci opere variata, in qua est crux de ipso ligno crucis, in qua salus mundi peperit.

Ibidem est alia capsâ deaurata, ubi magna pars de ligno ejusdem crucis quod Eraclius de Perside cum corpore Sancti Anastasij attulit, quæ est sub praedicto altari.

Est etiam ibi unus panis de cœna Domini et duo-

decim de lenticulis eiusdem cœnæ, de arundine qua pereutiebant caput Jhesu, de spongia quam plenam aceto circumponebant ori eius; tune in alio vasi positam inferius annotabitur de ligno sycomorum, ubi Zacheus ascendit.

In capsula eburnea oblonga et mentum sive maxilla Sancti Bartholomei apostoli, nec non reliquiae Sancti Mathei evangelistæ, sanctorum septem fratrum, sanctorum martirum Abdœm et Semnem, sanctorum martirum Processi et Martiniani, sanctorum martirum Felicis et Adaveti, Herenei et Abundi, Pigmenij, Sisinij et Saturnini, item reliquiae confessorum Damasi papæ et Felicis papæ, item magna pars capitis Sanctæ Barbaræ, Sancti Sebastiani martiris, Sancti Cornelii papæ et martiris.

In pipside eburneo est de veste beati Johannis Evangelistæ, et vasculum christalinum lineis aureis circumseptum in quo sunt aliquæ cineres Sancti Johannis evangelista et ditus unus Sancti Johannis Bap-tistæ.

In capsâ argentea greco opere elaborata, est caput integrum Sanctæ Praxedis cum cute, naribus, labijs et lingua, palpebrae quoque oculorum integræ sunt, ut magnam devotionem et admirationem incutiat. Hæc capsâ circumligata est cordula quadam et cereo sigillo signata, cuius litteræ leguntur: « Nicolaus papæ III secretum », in quo sigillo est sculptus puer qui piscatur hamo.

Est alia capsâ argentea cucum ligata et sigillo cereo signata, in qua capsâ sunt huiusmodi verba conscripta. Honorius papa III fieri fecit pro capite beatæ Agnetis. Intus vero est caput et de vestimentis Sanctæ Agnetis. Item reliquiae et de vestimentis Sanctæ Eufemiae.

In capsula argentea parva sunt aliquæ reliquiae Sancti Johannis et Sanctæ Brigidae. In capsâ haebena satis magna, sunt multæ parvæ reliquiae absque aliqua inscriptione, licet dicatur quod in ea sunt carbones Sancti Laurentii; sed illi alibi reperiuntur ut infra dicetur.

In capsula vel pipside ex auricaleo, sunt carbones Sancti Laurentij martiris, aspersi ejus sanguine vel adipe, item carneum quoddam capitum absque nomine et aliae reliquiae in saculis ligatae.

In vase rotundo ligneo depincto sunt tres sponsæ et aliae reliquiae sine nomine.

In alio vasculo ligneo rotundo est ampulla vitrea in qua cernitur sanguis coagulatus, hæc est tecta quidam membrana infecta quasi pinguedine, in qua vix legitur de sepulcro; sunt in eodem vase de reliquijs Sancti Constantini, Gervasij et Prothasij, et aliorum.